



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

VII. De coniugiis prohibitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

feminarum societatem coire. Qui vero sibi ab his temperarit, ac castitatem coluerit, diuinam consequitur miserationem, atque ad terreni honoris cumulum pari cum thano iure fruatur.

VII.

Christiana fide imbuti omnes propter Dei timorem illicitas carnis libidines coercento, ac iussis diuinæ legis obtemperanto. Porro autem edocemus, precamur, atque per Dei immortalis nomen præcipimus, ne Christiana fide tinctus quisquam intra sextum suæ cognationis gradum nuptias contrahat, neve cognati (quicum ei fuerat intra sextum gradum necessitudo) viduam in matrimonium ducat, neque porro ei, quam antea habuerat uxorem, aliquam consanguinitate propinquam sibi in matrimonio iungat. Susceptricem ad sacrum fontem, Vestalem virginem, aut repudiatam, in matrimonium Christianus ne ducito. Denique qui Dei leges cura complexus fuerit, suamque ab aternis inferorum flammis animam prohibere studuerit, scorta ne sectator, uxorem quoad ea vixerit vnicam, eamque legitimo nuptiarum fœdere coniunctam, nec plures, habeto.

Regii manuscripti capitula 13. 14.

VIII.

Quotannis quisque Deo iura iustasque debitiones rite persoluito: arationis quidem elemosynam ad decimum quintum a paschate diem pendito: fetuum decimas ad pentecosten soluito: terræ denique fructuum decimas reddito ad festum omnium sanctorum celebre. Verum enim vero si quis decimas ad eum quem diximus modum, ex decima nimirum arationis acra, dare noluerit, præpositus regius, episcopus, fundi dominus, fanique sacerdos, conueniunto, atque eo vel inuito decimam ecclesiæ, cui quidem debetur, partem, nona ei relicta, reddunto. Quod ad residuas octo partes attinet, quatuor qui est fundi Dominus, reliquas illius diœcesis episcopus habeto. Id quod faciundum erit, siue is fuerit minister regis, siue nobilis alterius cuiuscumque.

Regii manuscripti capitulum 15.

IX.

Nummus Romæ debitus ad festum diui Petri redditor: qui tum non soluerit, episcopo denarium illum, aliosque præterea ter denos, numerato, ac regi eo nomine duce-

Regii manuscripti capitulum 16.

Concil. Tom. 25.

R r